33969

ACTA
DELEGATIONIS

Ad Seren: Reipublicæ Polonæ fæderatos utriusqué Gentis Ordines, à Statu Equeſtri Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ expeditæ, ac in Seſsione publica Generalis earundem Reipublicæ Gentium Confæderationis *Grodnæ Die* 10. *Mens*: *Xbris* 1792. *Anno* adimpletæ.

LITERÆ CREDENTIALES PER DELEGATUM REDDITÆ

Illuſtriſsime ac Excellentiſsime Comes ac Domine, Domine, Rei Tormentariæ Regni Supreme Præfecte, ac Sereniſsimæ Confæderationis Generalis Regni Mareschalle! Domine Gratiosiſsime!



Quum Annô Milleſimô Quingenteſimô Sexageſimô Primô, Generosus Ordo Equeſtris Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ cum reliquis Livoniæ Statibus non ad protectionem aliorum populorum vicinorum, ſed ad Poloniæ Nationis clientelam & protectionem confugit; ſanè Generoſus Ordo Equeſtris Curlandiæ cum reliquis Livoniæ Statibus libertate & magnanimitate Gentis Polonicæ commotus adductusqué fuit, ſperans Privilegia & immunitates, quibùs tunc jam gaudebat, libertatemquè ſuam & ipſam nullibi meliùs nec tutiùs repoſituram fore, quàm in patrocinio Nationis Polonicæ tum libertate politicâ & civilî, tum magnanimitate ſuâ clariſsimæ illuſtriſsimæqué.

Per duo, & quod ſupereſt ſæcula, Generoſus Ordo Equeſtris gratiſsima cum mente excepit documenta, quibûs convictus ſemper fuit: Majores ipsius tam res ſuas, quàm & genium Gentis Poloniæ optimè rectèqué dijudicaſse. Nam per totum hocce temporis ſpatium, tam à Sereniſsimis Regibus, Sereniſsimaqué Republica pacta & conditiones, ſub quibus Ordo Equeſtris Curlandiæ & Semigalliæ ſese in fidem, clientelam & protectionem Sereniſsimorum Regum Sereniſsimæqué Reipublicæ Annô Milleſimô Quingenteſimô Sexageſimô Primô dedit, illibata, intacta permanſerunt, & ab utraqué parte religioſè ſanctèqué observata fuêre.

Aſt per quatuor, æqué pro Polonia, quàm pro Ducatibus Curlandiæ & Semigalliæ infeliciſsimos annos, nexus reſpectivè ex Pactis intercedens taliter mutatus fuit, ut Generoso Ordini Equeſtri Curlandiæ planè nulla iſtis Pactis conformis notio ampliùs relicta fuerit. De Legibus fundamentalibus enim, quibûs antiquiſsima Ducatuum Curlandiæ Conſtitutio politica ſuperſtructa eſt; de Juribus, Prærogativis, & Privilegiis Ordinis Equeſtris, uti Statûs politici & quidem unici in Ducatibus, deciſum fuit in Cancellariis Regni & M. D. Lithvaniæ ipsô Ordine Equeſtri inauditô, per Reſcripta; acſi Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ Capitaneatus eſſent, & acſi liber Ordo Equeſtris eorundem Ducatuum, fraternô vinculô cum Nobilitate Polonica junctus Ejusdemqué Juribûs, privilegiis ac libertatibus ex Pactis ſubiectionis & Unionis gaudens, adſcriptitius glebæ, ſervilisqué conditionis eſset.

Confugit Generosns Ordo Equeſtris quidem ad Comitia recentiſsima Confæderationis Varsavienſis, exiſtimans hic, eandem Sereniſsimam Rempublicam, quam toties Protectricem liberalem Jurium ſuorum expertus erat, & in cujus gremio quôvis tempore tutiſsimum clypeum contra omnem vim oppreſsionemqué cujusvis arbitrariæ poteſtatis invenerat, adhuc reperiturum fore. Aſt fruſtra; nam eadem Confæderationis Varsavienſis Comitia labefactatô, aut potiùs dirutô vetuſtate æqué quàm præſtantiâ ſuâ venerabilî liberæ Conſtitutionis Poloniæ ædificiô, oppræſsaqué libertate, et obfuscatô ſplendore Nobilitatis Poloniæ, non hæſitaverunt, imbuta ſemel novaturiente ſæculi geniô ex plenitudine putativæ poteſtatis ſuæ arbitrariæ, Leges & pro Ducatibus Curlandiæ & Semigalliæ condendi, quæ aquè Pactis pri-

mæ-

mævis toti Conſtitutioni politicæ his Pactis innixæ, Juribus, libertatibus & Privilegiis Nobilitaribus tum Generosi Ordinis Equeſtris quà Statûs politici, quàm ipſi ſaluti publicæ Ducatuum è diametro oppoſita erant & repugnabant, idqué omne nullâ habitâ ratione: quod nexus primævus horum Ducatuum cùm Regno Poloniæ & M. D. Lithvaniæ nequaquàm abſolutus, ſed conditionalis & tantummodò ex Pactis & ſecundùm pacta dijudicandus ſit; quodqué Generoſus Ordo Equeſtris Curlandiæ & Semigalliæ nullis legibus nec ſubjici, nec obtemperare poſset, niſi quas ipse propoſuit, aut quibus conſenſit.

Rebûs tam in Polonia, quàm in Curlandia ſic comparatîs & in tanto diſcrimine poſitîs, quô Ordini Equeſtri Curlandiæ nil, niſi ſpes & humillima fiducia in Auguſtiſsimæ totius Ruſsiæ Imperatricis protectionem & Gvarantiam (quam ſolemniſsimè implorandam ſe ſummâ neceſsitate adacttum videbat) relicta erant; ſanè huic Ordini nihil & pro ſalute optatiùs feliciusqué contingere potuiſset, quàm feliciſsima rerum publicarum mutatio in Polonia, presentî Sereniſsimâ Confæderatione Generalî Statuum & Ordinum Regni & M. D. Lithvaniæ, favente Numine divinô effectuataâ; et verbîs exprimi ideo non poteſt: quantopere Ordo Equeſtris de animo & ſtudio indefeſso Sereniſsimæ Confæderationis Generalis quecunque abolendi, tollendiqué, quæ in præjudicium Jurium Nobilitarium & liberæ Regiminis formæ à fæderatis Comitiis Varsavienſibus intenta fuerunt; & ut Reſpublica reſtituatur, ſplendorqué vetus Nobilitatis Poloniæ reſtauretur, lætatus fnit.

Sereniſsima Confæderatio Generalis non dubitarura erit hancce lætitiam Generoſi Ordinis Equeſtris Curlandiæ de hacce feliciſsima mutatione rerum politicarum in Polonia eò majorem eſſe, quò magis huic Ordini non ſolùm inde ſperare licitum eſt: & in Curlandia tam priſtinam Regiminis formam Pactîs primœvis conformem ſemper ſartam, tectamqué quàm jura, Privilegiaqué Ordinis Equeſtris intacta illæsaqué in poſterùm videre; ſed & quò citiùs iſte Ordo de magnanimi, benevolentiſsima, gratioſiſsimaqué Sereniſsimœ Confæderationis Generalis protectione, per Decretum die 24. in Oppido Brześć latum, munus Commiſſarij Regii permanentis in Ducatibus Curlandiæ ſupprimens, et Generoso Batowſki uti deſignato Commiſſario reditum in Poloniam injungens (& de quo Decreto ab Jlluſtriſsimo & Excellentiſsimo Domino Supremo Regni Cancellario, Delegato Ordinis Equeſtris Curlandiæ L. B. & Equiti ab Heyking ſub die 12. Mens: præt: communicatio facta eſt) convictus fuit.

Quum ideò ſibimet ipsi tam juſtè Generoſus Ordo Equeſtris Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ de hacce feliciſsima rerum politicarum commutatione in Polonia per Sereniſsimam Confæderationem Generalem effectuata gratulatur; quum jamjam obligatiſsimum obſtrictiſsimumqué magnanimî curâ & protectione Ejusdem ſe ſentit & publicè profitetur; idcircò Generosus Ordo Equeſtris, licet nondum per Universales Sereniſsimæ Confæderationis Generalis formaliter certior factus fuerit, tamen feſtinandum duxit: Sereniſsimæ Confæderationi Generali de reſtituta Republica & libertate Polonica, hîsce Literîs & per Delegatum ſuum Generoſum L. B. & Eqitem ab Heyking æquè humillimas quàm ſincerrimas gratulationes, tum gratiarum actiones ſuas de Decreto in Oppido Brześć lato ſubmiſsiſsimè deferendi, Eandemqué de haud interrupta, illibataqué fide erga Sereniſsimum Regem Sereniſsimamqué Rempublicam certiorem reddendi.

Jlluſtriſsimam Excellentiam Veſtram, et à toto Generoso Ordine Equeſtri Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ non ſolùm ùt Reſtitutor libertatis Polonicæ, ſed et ùt Reſtitutor libertatis Nobilitatis Curlandiæ, veneratam, nomine istius Ordinis æqué humillimè, quàm enixiſsimè oro, rogoqué: dignetur pro gratia ſua Sereniſsimæ Confæderationi Generali uti Jſtius Mareschallus, hancce gratam, piam, devoram, atquè ſubmiſsimam mentem, non minùs quàm fidem illibatam Generosi Ordinis Equeſtris Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ deferre; nec non & Generoſum L. B. & Equitem ab Heyking Delegatum iſtius Ordinis apud Sacram Regiam Majeſtatem, Sereniſsimamqué Rempublicam & apud Sereniſsimam Confæderationem Generalem, in qua nunc, ſumma Sereniſsimæ Reipublicæ residet auctoritas atqué poteſtas, in hacce qualitate, & uti Delegatum Generosi Ordinis Equeſtris Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ admittere, Eiqué fidem gratioſiſsimè adhibere.

De cætero, totum Generoſum Ordinem Equeſtrem Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ, quemadmodùm & me pro persona mea protectioni tam Sereniſsimæ Confæderationis Generalis, quàm uti Jſtius Mareschallo, Jlluſtriſsimæ Excellentiæ Veſtræ humillimè commendans, reſpectivè cum omni tàm fidelitate, devotione, quàm veneratione emorior, & permaneo.

Jlluſtriſsimæ Excellentiæ Veſtræ

humillimus et obsequentiſsimus.

Mitaviæ
die 12. *Mens: 9bris* 1792.

Eberhardus Chriſtophorus à Mirbach
Plenipotentiarius Ordinis Equeſtris
Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ.

ORATIO

Ad Sereniſsimos Generalis Confæderationis Gentis utriusqué Ordines à Gener: Henrico ab HEYKING Ordinis Eqeſtris Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ Delegato, *Plena in Seſsione Grodnæ die* 10. *Decembris Anno* 1792. habita.

Sereniſsimi Generales Liberè Fœderati utriusqué Nationis Ordines!

Quantò luctuoſior, atque acerbior fuit dolor, quo in Ducatibus Curlandiæ & Semigalliæ Universus Equeſtris Ordo oppreſſus eſt, cùm novo quodam, ac ad hæc usque tempora inaudito illegalique modo, Comitiis Varsaviensibus, die vigesima sexta Mensis Maij, currente Anno scitum de se decretumque eſset; tanto plenior voluptas ejusdem inceſsit animum hodierno potiſsimum auspicatiſsimo die, quo Vos Clariſsimi Viri, Patriæ Patres, Libertatis Polonæ vindices, & observantiæ cultu prosequi, & ſtudiis colere, licitum permiſsumque ſit.

Atque imprimis gaudeo vehementerque lætor, necnon ad ſempiternam meam gloriam pulcherrimum eſse judico, quod mihi, Delegato Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ demandatum ſit, ut in hoc ampliſsimo ac Ornatiſsimo conſeſſu Veſtro, cujus ſtudiô, ſapientia, authoritate, Reſpublica ab exitio erepta, liberata atque tutata eſt, Patriæ meæ lætitiam, devotionemque conteſter, atque, ſic eam comparatam eſſe declarem, ut nihil unquam, ne graviſsimis quidem temporibûs futurum ſit, quo ſuam fidem illibatam, ac venerationem profundiſsimam in Sereniſsimam Rempublicam Polonam infirmari aut convelli patiatur.

Fuit illa, non ita pridem funæſtiſsima Dictatoria quædam poteſtas, quæ per ſummam vim atque audiciam ſanctiſsimas Polonorum leges perfringere, ac abolere conata eſt; eodemque velut impetu, fœdus illud, quô tot abhinc ſæculîs Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ, Reipublicæ Polonæ feliciter juncti, ligatique ſunt, rumpere nervis omnibûs contendebat; jam arbitratui Regio palam deferendo; jam iniquiſsimis poſtulationibus Democraticarum partium ſerviendo; quæ hòc unicè animum defigunt ſuum, quò omnia Equaſtris Curlandici Ordinis Jura ac Privilegia, Majorum ſanguine parta, Pactis bilateralibus & conventionibus mutuis (quibus nihil ſanctius, nihilque auguſtius eſt) firmata atque ſtabilita, ſuo Imperio, atque arbitrio ſubjiciantur.

Verùm enim verò jam consilia Nobis Veſtra, Sereniſsimi Fœderatæ Reipublicæ Ordines, jam æquitas, jam denique rebus in agendis ſumma Juſtitia & aliàs, & hic maximè patuerunt; cùm Generosum Batowſki, ſolius Sereniſsimi Regis mandatô cum poteſtate permanentis Commiſſarij designatum, in patriam redire, ac de Ducatu Curlandiæ, Veſtra authoritate, decedere compuliſtis. Nec immeritò ſanè: jus quippe *Dominii directi*, Sereniſsimis Regibus non aliter, quàm unà cum Sereniſsima Republica Polona datum atque tributum eſt. Nam cùm Ducatus Curlandiæ *Fendi* nomine Sceptro Regio ſubeſset nunquam, ſed cum Poloniæ Regno, Magnoque Ducatui Lithuaniæ nexu *feudali* consociata fuiſſet, ſanè in Curlandiam, quæ ſuis ſemper legibus, Magiſtratibusque gaudebat, æqué injuſtum atque injuriosum fuit, Legatum perenni cum autheritate mittere, atque ejusdem Ducatûs Conſtitutionem de ſuis firmiſsimis fundamentis niti dimovere.

Atque vel hæc eadem ipſa, que Generoſum ſpectabant Batowſki, ſummâ ſolertia et amplitudine á Vobis geſta, fracto ac deſperato pene Equeſtri Curlandiæ Ordini eam ſubito ſpem attulêre, ut ſibi certiſsimum eſſe arbitretur: Ampliſsimos atque integerrimos Viros, qui Divino quodam afflati ſtudio, id unice agunt, id moliuntur, ut Reipublicæ ſplendor atque libertas ſuæ priſtinæ reſtitnatur Majeſtati; ſociorum etiam atque confratrum ſaluti, integritati. commodis conſulturos eſſe; nec-

non antiqua sua Jura ac Privilegia, submotis perniciosissimis novatorum opinionibus, ac ad tollendam ubivis gentium tranquillitatem perquam accomodis, ab omni detrimento sarta tectaque esse servaturos.

Agite igitur Serenissimi Fæderatæ Reipublicæ Ordines! hanc Vestram mentem, hoc consilium, hos animi sensus, publicis scriptis, tabulisque consignatos, (quod quidem ad immortalem fœderis Vestri cedet gloriam,) in lucem proferte atque, de hac Vestra Magnanimitate Equestrem Curlandiæ Ordinem quantocyus facite fieri certiorem.

Hoc enim est, cujus incredibili desiderio Vestri tenentur Socij, quod ad veterem fœderis religionem instaurandam, omnia quæ in Comitiis Varsaviensibus die 26. Maij, A. c. in præjudicium Ordinis Equestris Curlandiæ jurium ac libertatum intenta fuerunt, pro nullis ac irritis declarentur, despectis utpote Conventionibus, Pactis, Constitutionibusque Ducatûs Curlandiæ, ab Ipsa Augustissima Imperatrice totius Russiæ, libertatis Poloniæ, ut et Curlandiæ Magnanima Protectrice, solemniter firmatis atque munitis.

Quare, hic Vobis hæc sententia rata firmissimaque sit, Serenissimi Fœderatæ Reipublicæ Ordines! ut si hæc postulatio nostra, quæ cum immortali Vestra gloria, communibusque Nostri Vestrique Ordinis emolumentis conjuncta est, publico scito comprobata fuerit: Equestris Ordo Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ, hos tam liberales Vestræ in se beneficentiæ fructus, nonmodo perpetuâ, eâdemque piissima gratitudine tuebitur; sed, si res etiam postulaverit, salutem, integritatem ac splendorem Serenissimæ Reipublicæ, profusô etiam sangvine, tueri ac conservare, minimè dubitabit.

RESPONSUM

Illustris Magnifici Stanislai Felicis POTOCKI Mareschalci Confæderationis Generalis Regni Generoso Henrico ab HEYKING Ordinis Equestris Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ Delegato, *in Sessione Grodnæ d.* 10. *Decembris* 1792. datum.

Status Equestris, Status ille, qui Reipublicæ & Libertatis Nostræ est Conditor, cujus est Leges cudere, & Gubernaculum Reipublicæ manutenere; impatiens servitutis, Rempublicam crimine conjurationis eversam restaurare conatur.

Jam prisca Libertas Nostra resurgit, & Gentes Liberæ Confæderationis nexu junctæ juravêre: Ditiones Reipublicæ integras, & Jura Nobilitatis infracta conservanda.

Jura dumque Reipublicæ et vinculo Feudi annexarum Provinciarum existunt, nihil Nobilitas Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ ex antiquis Pactis Juribus & Privilegiis amittere queat, nihil Respublica Confederatione Nostra juncta evertere sinit, nisi servitutem quam Nobis conjuratio Die Tertia Maij paravit, nisi novitatem potestatis Regiæ, quæ in Republica existere non valet. Non Dominum & Hæredem, sed Caput Reipublicæ Diademmate cinctum libera Gentis Electio denotat, quam liberam Electionem posteritati Nostræ conservare, jurejurando obstricti sumus.

Status dumque Equestris Curlandiæ, & Semigalliæ, Fratres Nostri mutua nobiscum et æquali pietate Rempublicam prosecuti, certiores redditi a Domino Delegato Libero Barone ab Heyking, quem Respublica confæderata libenter excipit, eam semper tueri conabuntur. — Absint a Nobis, qui privatim degeneres, in publicam exitiosi, nihil spei nisi per discordias habent!